

emie et aliorum fratrum capitulariter congregatorum aut altero loco dicti receptoris substituendo per ipsum receptorem summam centum florenorum et viginti per ipsum fratrem Engelhardum debitorum tam pro responsionibus trium annorum preteritorum quam pro annata sua, videlicet quod hinc ad festum resurrectionis Dominice debeat solvere florenos quadraginta et in festo Omnium sanctorum proxime venturo solvere debeat alios quadraginta una cum responsionibus suis, que sunt triginta duo, et sic erunt septuaginta duo, et anno sequenti inmediate in alio festo Omnium sanctorum debeat solvere reliquos quadraginta una cum responsionibus suis, qui erunt simul alii septuaginta duo floreni, suo periculo et expensis in Otenw [?] predicto receptori vel alteri ad hoc deputato vel deputando sub pena privationis beneficii, quam ipso facto incurrat per non solutionem, et periurii ac inhobedientie, si secus fecerit sine aliqua excusatione, dolo ac fraude. Pro quibus omnibus observandis manu propria se subscripsit et iuravit omnia premissa observare sub penis contentis. Pro quorum subscriptorum firmiori roboratione sigillum capituli de novo ordinatum in dicto capitulo presentibus est impressum. Datum etcetera ut supra.

ITEM presentavit quoddam instrumentum visitationis dicte domus sancti Petri, quam visitationem fieri fecerat, dum ipse visitorator ex Hungaria reversus fuit, quia repererat dictum fratrem Engelhardum recessisse a dicta preceptoria et dictam domum dereliquisse laicis impignoratam pro maxima quantitate pecuniarum. Propter quod dominus comes Cilie⁸⁵ ante regressum dicti visitoratoris ex Hungaria tamquam advocatus et protector dicte domus sancti Petri manum apposuerat super dicta domo sancti Petri, ne per laycos creditores occuparetur, quemadmodum de his omnibus ipse dominus comes Cilie scripsit reverendissimo domino magistro et consilio. In quo quidem instrumento visitationis apparet ipsum fratrem Engelhardum male administrasse, impignorasse, distraxisse et alienasse bona, iura et iurisdictiones dicte domus et in magnis debitis eciam ipsam domum sancti Petri extitisse et existere et edificia^b dicte preceptorie ruinosae dirensisse [!] eundo per hospitia,

b) di über der Zeile

85) Zu Graf Ulrich II. von Cilli († 1456) vgl. Alois NIEDERSTÄTTER, Das Jahrhundert der Mitte. An der Wende vom Mittelalter zur Neuzeit, Österreichische Geschichte 1400–1522, hg. von Herwig WOLFRAM (1996) S. 198–201; Alexander Georg SUPAN, Die vier letzten Lebensjahre des Grafen Ulrich II. von Cilli mit besonderer Berücksichtigung der Stände-Revolution in Österreich in den Jahren 1451 und 1452 (1868).